

# DE EVANGELIO REGNI DEI. DISSERTACIÓ

INAUGURAL DEL CURS DE 1924-1925 EN EL SEMINARI DE VICH,  
PEL DR. PÈRE POUS, PROFESSOR DE SAGRADA ESCRITURA

“Bibliorum scientiam quanti Ecclesia Dei perpetuo fecerit, vel scripta testantur, a christianae religionis primordiis usque adhuc, ad fidem docendam tuendamque edita. Libris enim sacris, altero divinae revelationis fonte, haud secus ac traditis sine scripto doctrinis, quicquid de Deo, de Christo hominum redemptore, de nativa Ecclesiae constitutione deque morum disciplina scimus, innitur id omne ac fulcitur. Quamobrem rei biblicae studia tanto plus viguerunt, quanto oportuit acrius aut veritatem inlustrare aut errores inimice infestaeque in Christi divinitatem inque Ecclesiam prolatos refellere; acatholicis autem et rationalistis eo usque temeritatis audaciaeque progressis, ut ipsam Scripturae Sanctae auctoritatem atque ab errore immunitatem appetent, iam nostris necesse fuit, magna sanae eruditionis copia instructis, in certamen descendere, ut divinum caelestis sapientiae donum a falsae scientiae commentis defenderent”.

His equidem verbis Sanctissimus Dominus noster Pius Papa XI, quem Deus secundum catholici orbis optata diu incolumem sospitemque servet, brevissime quidem at simul sapientissime studiorum biblicorum praestantiam atque utilitatem, imo vel necessitatem, pro omni quidem, potissimum vero pro hodierno tempore, manifestavit, non tantum ut suam cum proximis praesertim Decessoribus in hac re consensionem ostenderet, sed etiam et quam maxime ut illorum sapientissimorum Pontificum hortamentis et iussis praescripta et incitamenta nova adderet, quae temporum conditio postulat, ad uberiores solidioresque utilitates ex his studiis capessendas: quod quidem fecit in suo *Motu proprio* “de disciplinae Biblicae magisteriis” diei 27 m. aprilis huius anni, ubi verba illa citata ab initio leguntur.

Iamvero inter multiplices quae de re biblica agitari solent quaestiones, quibus id quod asserit Summus Pontifex confirmatum appareat, una est quam nunc breviter pertractandam assumo, utpote maxime accommodatam huic sollemni studiorum instaurationi; quaestio scilicet de significatione et ambitu *Evangelii Regni Dei* in praedicatione Christi.

Mihi adsit, simul cum venia vestra, auditores omnes, divinum auxilium quod ferventer adprecor.

Nota certe sunt omnibus verba quibus evangelistae ministerium praedicationis Christi proposuere. Initium huius praedicationis narratur a S. Marco hisce verbis: "Venit Iesus in Galilaeam, praedicans Evangelium regni Dei et dicens: quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei: poenitemini, et credite Evangelio" (*Mc.* 1, 14 sq.). Paulo brevius idem scribit S. Matthaeus: "Exinde coepit Iesus praedicare, et dicere: poenitentiam agite: appropinquavit enim regnum caelorum" (*Matt.* 4, 17). Iisdem verbis iam Iohannes Baptista proximitatem adventus Messiae adnuntiaverat, uti narrat idem S. Matthaeus initio capitis tertii. Et ab eodem evangelista ita haud multo post veluti in compendium redigitur tota praedicatio Christi: "Et circuibat Iesus totam Galilaeam, docens in synagogis eorum, et praedicans evangelium regni" (*Matt.* 4, 23). Imo et ipse Christus, iuxta S. Lucam, idipsum declaravit veluti suae missionis obiectum: "Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei; quia ideo missus sum" (*Lc.* 4, 43). Constal pariter Christum saepe de regno caelorum disseruisse, ut apparet ex Evangelio, maxime in parabolis illis quibus veram significationem huius regni explicare intendebat.

Quaeritur ergo quid sub hoc nomine "*regnum Dei*" vel "*regnum caelorum*" intelligendum sit iuxta mentem Domini et evangelistarum. Alia est enim significatio quae his vocibus tribuitur a catholicis communiter, alia vero prorsus diversa quae ab acatholicis propugnatur. Ex his enim aliqui, uti Dillmann, Weiss, etc., admittunt utique doctrinam de regno caelorum constitutere veluti centrum tum Veteris tum Novi Testamenti, asserunt tamen in descriptione huius regni, prout a prophetis praenuntiabatur, nihil aliud contineri nisi mala praesentia finienda esse, bona autem cuiuslibet generis esse feliciter obventura; et sic eliminant ex vaticiniis totum id quod eventum aliquod historicum vitae Christi portenderet, itemque ex vita Christi ea expungunt vel perverse intelligunt, quae adimpletionem vaticiniorum supponerent. Alia via procedit Alfredus Loisy, quem sequuntur generatim modernistae. Hic admittit doctrinam de regno caelorum esse substantialem omnino in Evangelio; existimat tamen hoc regnum unice in ultimo Christi adventu incipiendum esse, supponens praeterea Iesum erroribus eschatologicis plane imbutum fuisse.

Contra hos omnes et similes errores oportet rectam habere notionem de regno Dei prouti tum in Veteri Testamento, tum praesertim a Christo praedicatum fuit.

Tametsi verum sit voces has "*regnum Dei*" vel "*regnum caelorum*" vix inveniri in scriptis sacris Veteris Foederis, certum tamen est ideam per has voces expressam satis communem esse in iisdem textibus fere omnibus. Deus enim saepissime exhibetur non solum ut Rex et Dominus universalis et aeternus, sed et ut Rex specialis populi electi, cui non mere leges et praecepta con-

tulit ordinis religiosi et moralis, sed et constitutionem omnem politicam et socialem tradidit, exercens simul ius regiae dignitatis et auctoritatis per vicarios suos, duces vel reges populi. — Cum regnum Dei, neque in mundo propter rebellionem hominis peccantis, neque in ipso populo israelitico propter duritiam et nequitiam huius populi, debito modo obtineretur, divina revelatio verum regnum Dei promittebat futurum, cuius primum erat veluti umbra vel figura.

En ideo vaticinia messianica Veteris Foederis, ubi Messias proponitur Rex a Deo constitutus, arctissime cum Deo coniunctus, utpote legatus, imo verus Filius Dei, qui omnes homines cunctasque gentes divinae potestati subiiceret, eisque viam ac normam recte vivendi praescriberet; eiusque regnum aeternum exhibetur et universale, simul ac spirituale, quippe quod erit regnum scientiae Dei, iustitiae ac sanctitatis et pacis, quod propterea erit profecto praeclara et insignis manifestatio gloriae Domini, in cuius laudem totum cedit, quia erit regnum iustitiae contra peccatum et regnum salutis vel liberationis ab effectibus peccati.

Hoc regnum praedicebatur a Messia condendum per passionem ipsius qua iustitia et salus pararetur, et per praedicationem quae omnibus offerretur. Sic Messiae sanguine foedus novum sancendum erat, foedus universale, foedus pacis, foedus sempiternum utpote verae desponsationis; non timoris et servitutis ut antiquum, sed amoris et gratiae. Per praedicationem vero lex foederis erat promulganda, ut omnes qui id expeterent, adscisci possent in hoc Foedus, quod differt ab Antiquo, non solum extrinsece ratione extensionis et durationis, sed etiam intrinsece ratione vis et efficaciae tum sacrificii, tum sacramentorum, tum legis perfectioris, tum sanctionis aeternae. Propagandum dicebatur regnum messianicum imprimis per ipsum eius fundatorem, Messiam, ideo missum ut evangelizaret pauperibus, iuxta vaticinium Isaiae (49, 1-6; 51, 16; 61, 1-3); et deinde per alios ab eo missos, non tantum ad filios Israel, sed et ad gentes: propagandum, non vi et strepitu armorum, sed praedicatione verbi, et communicatione gratiae Spiritus Sancti diffundendum, inter obstacula multa quae evangelio regni opponerentur.

Haec igitur omnia, et alia levioris momenti, includebantur in sic dicto "*evangelio regni Dei vel regni caelorum*", quod penes omnes israelitas in scriptis sacris versatos familiare esse debuit, et de facto fuit, uti constat ex scriptis iudaeorum paulo ante vel post Christum editis, ex quibus etiam patet vehementem tunc fuisse expectationem Messiae eiusque regni. Quod item potest confirmari ex multis textibus ipsius Novi Testamenti, ubi Christus, "oriens ex alto, visitasse dicitur populum suum per viscera misericordiae suae" (*Lc.* 1, 78); exspectatur et salutatur ut rex Israel (cf. *Matt.* 2, 2 sq.; *Ioh.* 1, 49; 6, 15; 12, 13. *Lc.* 19, 38, etc.); eiusque regnum ab ipsis is-

realitis vocatur *regnum coelorum* (*Matt.* 18, 1; 20, 21), vel *regnum Dei* (*Lc.* 14, 15; 17, 20. *V. Mc.* 15, 43), vel etiam simpliciter *regnum* (*Act.* 1, 6). Patet tamen ibidem qualitates huius regni ac praecipue eius spiritualitatem fuisse sensim sine sensu transformatas et interpretatas a iudaeis secundum eorum opiniones carnales et terrenas, quibus Christus, verus et supremus Magister, caelestem veri regni Dei imaginem constanter opposuit.

Qui attente legat Evangelium facile perspiciet laetum nuntium regni Dei constituere veluti fundamentum et centrum totius praedicationis Christi. Ipse de semetipso dixit ad adnuntiandum hoc regnum missum fuisse, ad adducendos scilicet homines ope praesertim praedicationis miraculis confirmatae ut crederent Evangelio suo, omnesque credentes coadunandos in suo regno. Inde est quod ipsum nomen εὐαγγέλιον, quod etymologice designat nuntium bonum vel laetum, iam ab Isaia (40, 9; 52, 7; 60, 6; 61, 1) adhibebatur de laeta adnuntiatione beneficiorum messianorum, atque eodem sensu potissimum usurpatur in libris sacris Novi Foederis, et passim apud Sanctos Patres. Omnes quidem intelligimus nunc per Evangelium laetum nuntium de regno Dei, de Messia, de salute messiana, de doctrina et beneficiis Christi Domini. Advertendum est enim in sacris Litteris Evangelium numquam dici de libro scripto, qui usus vocis ad tempora posteriora pertinet, licet fundetur in illa significatione principali et communi.

Ast quid continebat laetus ille nuntius seu *evangelium regni* a Christo praedicatum? Nomina quibus vocari solet regnum istud sunt praesertim haec duo: *regnum caelorum*, quod 32 vicibus invenitur penes S. Matthaeum, et *regnum Dei*, iuxta denominationem communem penes alios evangelistas. Existimarunt aliqui differentiam adesse inter utrumque nomen, ita ut per primum Christus voluerit exprimere oppositionem verae ideae regni spiritualis contra terrenam expectationem iudaeorum, quasi diceret, ut vult Maldonado (in *Matt.* 3, 2): "Vos terrenum exspectatis regnum, ego caeleste appropinquare confirmo". Imo nomen hoc "regnum caelorum" a Weiss, Holtzmann et aliis rationalistis explicatur tamquam excogitatum et adinventum ab evangelista Matthaeo ad mitigandam deceptionem iudaeorum, postquam per ruinam nationis ipsorum, omnis spes adventus regni Dei super terram, evanuerat. Dicendum tamen est talem opinionem non posse provenire nisi ex ignorantia modi loquendi iudaeorum. Saepe enim iudaei, propter venerationem nominis Dei, hoc nomen substituunt per "caelum" quod consideratur ut eius sedes propria et honorifica; et sic *regnum caelorum* idem est ac *regnum Dei*: illud magis intelligibile penes iudaeos pro quibus scripsit S. Matthaeus, istud vero penes ethnochristianos, pro quibus scripserunt alii evangelistae.

Posita hac identitate inter *regnum caelorum* et *regnum Dei*, veniamus iam ad explicationem veri conceptus huius regni prout praedicabatur a Christo. Nullatenus unum elementum solum habet regnum istud, sed multiplex,

ut clare colligitur ex ipsis textibus evangelicis, maxime ex parabolis quae incipiunt verbis illis: "assimilatum est regnum caelorum", vel "simile est" aut "simile erit regnum caelorum", quae evidenter de hoc regno agunt. Textus ergo illi collective sumpti exprimentur per regnum istud "ipsam dominationem Dei inter homines, adnuntiata tamen et procurata per Christum Messiam, et externe patentem in Ecclesia, quae inter multas difficultates crescens et sese extendens, ad triumphum tandem perveniet in secundo Christo adventu, tunc enim gloriosum et perpetuum statum obtinebit".

Ut haec omnia bene intelligantur, attendatur oportet conceptus quem iudaei ad quos Christus adloquebatur, habebant de regno Dei. Vidimus iam eos agnovisse Deum ut dirigentem et gubernantem populum suum per vicarios suos vel legatos divina auctoritate pollentes. Regnum tamen illud regnum messianicum portendebat, de quo simul cum veris ideis, quas notavimus, falsae etiam aliquae facile admittebantur a iudaeis. Christus igitur ad auditores iudaeos de regno Dei alloquens, nomen istud adhibebat in significatione ab iis accepta, exclusis tamen falsis illis admixtionibus quas terrena interpretatio iudaeorum vero conceptui adiunxerat. Clare semetipsum profitebatur Messiam a prophetis praedictum, itemque adnuntiavit proximitatem, imo et praesentiam regni messianici quod prophetae vaticinati fuerant. Indolem eius spiritualem indicavit dicens: "Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei" (*Ioh.* 3, 5): exigit ergo novam quamdam nativitatem, seu naturam spiritualem. Simile quid eruitur ex aliis textibus, uti: "Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum" (*Matth.* 18, 3). Conditio requisita ut quis in hoc regnum ingrediatur ea est, ut supremum Dei dominum revera agnoscatur: "Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum" (*Matth.* 7, 21).

Haec vero divina dominatio non tantum in singulis hominibus patere debebat, sed et in societate religiosa ab ipso Christo fundata, seu in Ecclesia, cuius ipse Christus, verus Filius Dei, est caput invisibile, visibile autem Petrus eiusque successores. Haec societas merito etiam regnum Dei dicitur, quia a Christo Filio Dei fundata ut nos ducat in beatitudinem caelestem, iuxta constitutionem et leges ipsius Christi est regenda, atque uti verum regnum messianicum fuerat a prophetis praenuntiata.

Regnum caelorum Ecclesia Dei dicitur, tum quia originem habet caelestem, de caelo enim descendit rex et fundator huius regni; tum etiam quia perfectam in caelo consummationem habebit, in sede scilicet beatorum, ubi Christus cum suis regnabit in aeternum. Hoc tamen regnum beatitudinis "in quo pax summa erit", suam habet periodum seu phasim praeparatoriam, quae "praesentis temporis Ecclesia dicitur, in qua quia mali cum bonis et reprobi

cum electis admixti sunt”, iuxta notas phrasas S. Gregorii Magni, iam ex hoc tempus militantis Ecclesiae recte dicitur, quae tamen praecursoria est regni triumphantis. Haec quidem Ecclesia, seu hoc regnum, propagatum quidem ab hominibus, et ex hominibus constans, extendi debet per universum mundum, complectens omnes populos et perdurans usque ad consummationem saeculi, quando, pro filiis huius regni, militia et tristitia temporalis vertetur in gaudium sempiternum; mercedem enim laborum accipient vitam aeternam, seu intrabunt in gaudium vel gloriam Domini et recumbent cum eo velut in convivio perpetuo, prouti dicitur in Evangelio.

Complacita benignitate Christus saepe de hoc regno in sua duplici phasi, praeparationis et consummationis, disserebat cum discipulis suis, praesertim in parabolis illis quibus regnum istud dilucidare sibi proposuit. Ex Evangelio clare apparet non bona terrestria, sed caelestia in hoc regno esse exquirenda, non esse dimicandum contra potestates huius saeculi qua tales, sed contra spirituales inimicos, ac praecipue contra “serpentem illum antiquum, qui est homicida a principio”, et contra eius emissarios, mundum scilicet “in maligno positum” et carnem “quae concupiscit adversus spiritum”. Sic adversus falsas iudaeorum opiniones insistebat Christus in natura spirituali regni a se promissi, simul etiam ostendens completam omnis mali eliminationem non in prima regni phasi esse quaerendam, sed in secunda, post finale iudicium. Instruxit pariter discipulos, et per eos nos omnes, circa conditiones requisitas in membris huius regni ut veram vitam participent: vigilandum et orandum esse; fidelitatem et prudentiam esse servandas, ut decet servos; abnegationem, patientiam et ipsius regis sequelam cordi habendas esse. Ipse demum Rex in Evangelio revelare voluit divitias Cordis sui, eius misericordiam, suavitatem, caritatem qua maior esse non potest, ut “sanctissimi Cordis eius virtutibus induti et affectibus inflammati, et imagini bonitatis eius conformes et suae redemptionis, ac consequenter sui regni, mereamur esse participes”.

En igitur quodnam sit *evangelium regni* a Christo praedicatum et a prophetis praedictum. Et en pariter *evangelium regni*, quod et nos praedicare debemus, et ad quod penitus et intimius cognoscendum vergere debent studia nostra. Est enim regnum Dei “illud Dei consilium beneficentissimum hominibus et gloriae Dei maxime consentaneum, quo ea providit generi humano quibus singuli ad supernaturalem Dei unionem possint pertingere” (Knabenb.)

Iamvero inter haec a Deo provisa pro salute nostra est etiam “consolatio Scripturarum”. Curandum propterea est, ut iam hortabatur Tridentina Synodus, ne caelestis hic thesaurus penitus neglectus iaceat”. Habemus enim in sacris Litteris, ut verbis utar S. Petri (2 *Ep.* 1, 19) “firmiorem propheticum sermonem; cui benefacitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat et lucifer oriatur in cordibus vestris”. Ideo scribebat S. Hieronymus: “Regnum caelorum praedicatio Evangelii est, et notitia

Scripturarum, quae ducit ad vitam" (Hom. in Dom. 6 p. Epiph.); et in alio loco: "Ignoratio Scripturarum, ignoratio Christi est" (Prol. in Isaiam). Propterea iam in antiquo iure canonico (Dist 38 c. 4) dicebatur: "Ignorantia, mater omnium errorum, maxime in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sciant igitur sacerdotes Scripturas sanctas". Omnibus autem notum est quantopere in novo Jure et a Pontificibus nostri temporis studia biblica commendentur et praescribantur. "Scripturae Sacrae usus, iuxta Benedictum XV (Encycl. "Spiritus Paracl."), in universam Theologiae influat disciplinam eiusque prope sit anima". Simile quid iam dixerant Leo XIII et Pius X, et de eadem re recentia verba Summi Pontificis Pii XI attulimus vel ab initio huius orationis.

Nec putetur antea non ita fuisse existimatum. Clarus P. Maldonado, professor Theologiae saeculo xvi, agens "de ratione studendi Theologiae" (ad finem 3 vol. Operum Theol.), haec dicebat: "Cum Scriptura Sacra omnis Theologiae fons sit et uberrimum seminarium, unde melius nostra omnia... studia quam ex eius locupletissimis thesauris inchoentur? Ego quidem, addebat, eos qui, praetermissis Litteris sacris, nescio quibus in libris omnem vim ingenii sui seque ipsos consumunt, theologos esse non judico; qui vero et minoris temporis partem et postremam divinis Litteris impendunt, nominentur sane theologi si volunt, certe imprudentes et praeposteros theologos appellabo". Et merito quidem haec dicebat, nosque ea repetere possumus, praesertim cum audierimus ipsos Romanos Pontifices idipsum propter necessitates nostri potissimum temporis praescripsisse. Si biblica igitur studia, simul cum reliquis quae formationem ecclesiasticam constituunt, debito modo peragimus, tunc erimus, ut vult Christus, veluti "scriba doctus in regno caelorum, qui similis homini patrifamilias profert de thesauro suo nova et vetera" (*Matth.* 13, 52).

Velit igitur Deus "largiri nobis exiguis mancipiis suis tempus et horam commorandi in uberrimis pascuis Scripturarum, quae nostrae carissimae deliciae sunt, et erunt, donec dies aeternitatis illucescat et umbra mortalitatis inclinetur" (Imit. Xti.). Caelesti benedictione confortati studia nostra toto animi affectu iterum aggrediamur, sanctorum sacerdotum exemplis incitati atque intercessione adiuti, "ad divini nominis laudem, mentis nostrae sanctificationem, salutem animarum et sanctae Ecclesiae decorem". Sic certe et nos pro viribus conabimur ut adveniat regnum Dei, quod Christus ipse prae omnibus aliis postulare et quaerere nos edocuit. Ita et cum Pontifice possumus "in spem erigi, futurum, ut sacri istius piacularisque anni cursus sic ad regnum Dei proferendum pacemque inter homines conciliandam conferat ut, *par Christi in regno Christi* opinione citius affulgeat".

Vici, 1 octobr. 1924.